

NOVARVM  
DECLARATIO  
NUM ET VARIARVM  
LECTIONVM, RESOLUTIONVMQVE  
IVRIS LIBRI XXII. DIVERSORVM CLARISSIMORVM  
IVRISCONSULTORVM RECENTIVM:

QUORVM CATALOGVM VERSA INDICAT PAGINA.

QUIBUS NON SOLVM MVLTA IN IVRE CORRVPТА ET NON  
*satis intellecta, restituntur & emendantur, sed & difficillimæ Iu-  
ris quæstiones enodantur & explicantur.*

Nunc primùm in vnum volumen congesti, & ex postremis auctorum recogni-  
tionibus, emendatiùs quàm antè vnquam editi.

*Adiicimus locis oportulis rerum Summas, præterea Indices duos locupletissimos: vnum, Legum passim  
explicatarum: alterum, verborum & rerum, sententiarumq; insignium.*

Opus omnibus Iurisconsultis, tam Legum professoribus quàm Practicis  
ac studiosis Iuris apprime vtile & necessarium.



COLONIAE AGRIPPINAE,  
APVD IOANNEM GYMNICVM,  
SVB MONOCEROTE. ANNO  
M<sup>D</sup> LXXV.  
Cum priuilegio Cæsar. Maieft. ad decennium.

# ILLVSTRISS. ETRE

VERENDISS. D. FRANCISCO

COLVMNAE ARCHIEP. TARENTINO,

ALEXANDER ALBERTONIUS S. D.



**C**VM Vaconium veterem familiae vestrae clientem, amplitudinis verò tuæ etiam præceptorem obseruantissimum aliquot annos ita audiuerim, ut quos ille in iure civili perdifficiles sanè & perobscuros, innumerabiles penè locos, vnus adhuc declarauit, & illustrauit, non solum cognouerim, sed etiam in commentariolos meos retulerim, faciendum duxi, ut quæ mihi præclara, & admodum utilia visa sunt, & alijs etiam legum scientiæ studiosis aliquando impertirem. Nam & eiusmodi præceptore iure indignus iudicaretur, & hominis officio abuti existimaretur, si quod mihi, is opera sua beneficium dedit, id ego, mea, in reliquos non conferrem. Quamobrem statui Doctoris mei sententiam de re conditis ijs in ciuili facultate locis, huic libro mandare: cumq; librum in tuo nomine ad utilitatem studiosorum emittere. Cum enim Vaconius ipse amplitudini tuæ se omnia debere fateatur, & prædicet, ego autem illi nihil non debeam, te verò meritò non solum ego, sed domus mea tota tam diu amet & obseruet, hoc propterea quicquid est, utriusque muneris tibi iure optimo offerendum censui. Quare qui aliquem hinc fructum percipient, tibi, qui Vaconij, à quo hæc primùm profecta sunt, studia aluisti, eum semper acceptum referre debebunt. Meum certè consiliū qui librum ei potissimum viro dicarim, cui cum propter singularem doctrinam, vitæq; integritatem, tum propter incredibilem erga bonos & eruditos homines benignitatem ac beneficentiam, nemo non improbus, aut à literis alienus non plurimum se debere confitetur, omnes (ut spero) facillè comprobabunt. Accipies igitur munus hoc iustissimis quidem de causis tibi debitum, sed ita accipies, ut non quantum tua dignitas postulat spectare, sed quantum ipse præstare possum cogitare memineris. Vale feliciter.

## AD FRANCISCVM

COLVMNAM TARENTINO-

RYM PONTIFICEM VIRVM OPT.

ac sapientiss. Lælium Iordanus.

**E**Xcipe Vaconij Antistes clarissime munitus,  
Et meritum officij nomine pignus habe,  
Sacra recognosces prisconum dogmata scriptis  
Deprompta, expressis sentibus arte nouis:  
Quod nec sexcentis Doctorum magna caterua  
Præstitit, Hic chartis ius docet omne tribus.  
Vaconij tibi habe hæc summi monumenta colūna  
Ingenij, quæ alias non meruere manus.

AD HVNDEM.

**Q**UOD te, ut Alexandrū, nō punxerit esse ma-  
Inuulgata alijs quæ tua sola foret, gistro

Sed tuto per te liceat sine cortice nare,  
Quæ datur ex opere hoc, gloria magna tua est.

ANTONII DE AMATIS

EPIGRAMMA.

**V**T latet in venis silicis vix nota fauilla,  
Mox tamen excussa flāma vapore micat,  
Vtq; ima tegitur fulurum tellure metallum,  
Extrahit inuentas deniq; fossor opes:  
Et latet Lois velut Indica gemma sub vndis,  
Quam vix œolio nauita rete trahit.  
Sic obtrusa diu per magna volamina legum,  
Exprimit in sensus vi meliore nouos:  
Lector habes propria quæ dat Vaconius arte,  
Dices hæc proprio Pythius ore dedit.

INDEX

# D. VACONII A VACV- NA IVRIS CIVILIS DECLARATIONVM

CVM NOVIS ADDITIONIBVS,

LIBER PRIMVS.

SVMMA RIVM.

- 1 *Ius aliud naturale, aliud civile.*
- 2 *Ius naturale Quid.*  
*Ius. & iustum, idem.*  
*Iustum, est idem, quoddam bonum.*
- 3 *Ius gentium quid.*  
*Bellum est de iure gentium.*
- 4 *Ius civile, quid.*
- 5 *Bonum, quid sit.*
- 6 *Natura quomodo Animalia docuit.*
- 7 *Natura, quid sit.*
- 8 *Animantium triplex forma, & natura.*
- 9 *Natura arborum, & herbarum qua.*

## PRIMA DECLARATIO IVRIS naturalis & gentium,

*Explicatur iurium cum §. 1. Inst. de iur. nat. gen-  
tium & civili.*



**M**NES, qui deside-  
rant rectè ius intelli-  
gere, (omnes autem  
desiderare debemus)  
eius principia clarè  
nosse debent, princi-  
pium enim plusquam  
dimidium totius esse  
videtur, cum eorum,  
quæ quaruntur, com-

plura per ipsum manifesta fieri solent: Aristot.  
1. Ethico. c. 7. num. 64. vide altius repetentes,  
dicamus ius, alterum esse naturale: alterum ciui-  
le, seu politicum, & quia vetustius est ius natu-  
rale, quod cum ipso genere humano, natura  
ipsa protulit. §. singularium. Inst. de rerum di-  
u. ideo ab ipso incipiendum est. Est igitur sci-  
endum, ius naturale id esse, quod semper est  
bonum: ius, de iustit. & iurc. c. ius naturale.  
1. distinct. Præterea ius, & iustum: idem est: vt  
in 5. Ethic. sed ius dicitur per apocopen, remo-  
ta syllaba, tum; sicut fac, pro face. iustum au-  
tem idem est quod bonum: ergo ius naturale,  
est bonum quoddam à natura, id est à Deo or-  
dinatum, ac tributum, conueniens conducens  
que naturæ cuiusq; animalis, sicut ius gentium  
est bonum ordinatum à gentibus: consentane-  
um, vtilesq; omnibus gentibus. vt est emptio,  
venditio, locatio, & conductio. hi enim con-  
tractus sunt vtiles omnibus gentibus. vt suo  
loco demonstrabitur. Bellum est etiam de iu-  
re gentium: quod à gentibus ordinatum est,

tanquam omnibus gentibus vtile, ad propul-  
sandam iniuriam, ad repellendos hostes, ad  
eosq; coercendos, qui ad parendū nati sunt, nec  
volunt parere. & tale bellum est à natura, & est  
bonum. Arist. in 1. Polit. est em ordinatio que-  
dam à gentibus facta: & ita est ius gentium, qd  
ius ratio naturalis inter omnes gentes consti-  
tuit. i. ordinauit. §. quod verò. Insti. de iure na-  
tu. gen. & ciuil. Ius verò ciuile, est bonū quod  
dam à ciuitate ordinatum, vtile statui illius ci-  
uitatis, vtputà, stipulatio est ius: id est, ordina-  
tio quædam ciuitatis. Possessio ciuilis est ius.  
itidem & iter est ius: id est, ordinatio quædam  
ciuitatis. & vbicunq; in iure ciuili dicitur ali-  
quid esse ius, exponendum est, ius, id est, ordi-  
natio ciuitatis. nam vt ait Arist. in 1. Polit. ius  
ciuile est ordinatio ciuilis societatis. & Impe-  
rator hoc idem dicit in §. 1. Inst. de iur. natura.  
& ciui. ibi, quod quisque populus sibi consti-  
tuit, id est, ordinauit, vocatur ius ciuile ipsius  
ciuitatis, & Boetius libro tertio de consolatione,  
vbi latè id demonstrat, ibi videto. Omne  
igitur ius, est bonum quoddam. Nunc viden-  
dum est, quid sit bonū. Bonum verò est quod  
omnia appetunt, inquit Phil. 1. Ethico. omnia  
inquam etià cognitione carentia, si quidem na-  
turali quodam appetitu, tendunt in bonum, nō  
vt cognoscentia, sed vt ab aliquo cognoscente  
mota, ad id quod est bonum, & sibi confert, ex  
ordinatione scilicet diuini intellectus. quem-  
admodum sagitta tendit ad scopum, ex dire-  
ctione sagittantium. Est tamen sciendum non  
omnia vnū, & idem bonum appetere, sed alia,  
aliud, secūdem eorum propriam naturā, nam  
aliud videtur bonum homini, aliud asino. asi-  
no enim pabulum, magis quàm aurum, bonū  
esse videtur, vt ait Phil. 10. Ethic. salices amarè  
videtur quoddam bonum capellis, & ideo il-  
las appetunt: homo autem illas pro cibo mini-  
mè appetit. Cum igitur idem sit ius naturale,  
quod bonum quoddam, bonum autè, omnia  
animantia appetunt, sequitur ius naturale id  
esse, qd omnia animantia appetant, & ad quod  
natura sua inclinantur. & hoc est, quod ait Iu-  
reconf. in l. 1. ff. de iustit. & iur. cum inquit ius  
naturale, est quod natura docuit omnia ani-  
malia natura scilicet increata, id est, ipse intel-  
lectus increatus, qui dat vnicuique animalium  
inclinacionem appetendi bonum, naturæ cu-  
iusque conueniens, atque id fugiendi, quod  
cuique naturæ noxium videtur. Pro clariori

A igitur

# D. NICOLA I BELLONI

PATRICII CASSALENSIS ORATIO,

QVAM PRAEFATIONIS LOCO HABVIT, CVM LE

CTIONES SVAS DOLAE AVSPICARETVR.

*Quam adiunximus ne pagina subsequentes vacuae remanerent.*



**M**EMORIA mecum repeto, quæ à pueritia ad hunc vsque diem mihi contingere, nihil in mentem venit, quod vnquam difficilius magisq; arduum visum sit, quàm hoc quod hodie à me susceptum est munus. Cum enim ad ius civile mane interpretandum in hanc Dolanæ Academiam euocatus sim, neque id illotis (vt dicitur) manibus pertractare liceat, aliquam orationem habere, & nonnullis verbis rem ornare, maiorum more inuitor & compellor. Quæ in re cum Præfatione non vulgari opus sit, vndique ad eò multa me circumuallant, & opprimunt, vt mihi ipsi non constem. Hinc occurrit in primis hic confessus ornatissimus, de quo tacere nec eius humanitas, & erga me beneuolentia, nec honor aduentu suo mihi delatus patiuntur: hinc laudan-

dum Ius Civile sese offert, in quo cùm quotidie versentur, in ciuile quodammodo existimaretur, absq; cõmendatione prætermitteretur: hinc celebranda videtur hæc quæ mihi imposita est prælegendi prouincia, ne vitio dent aliqui quod aliena curem, rerum mearum interim negliges. His decaulis plerorq; in lectiõnum suarum initio, similibus argumentis integram orationem absoluere, sæpe obseruaui: quorum tamen opinionem & iudicium nunquã probaui, nec sum secutus, quod quotidiana sint, & toties repetita, vt cuius etiam in humanioribus literis ieiunio, nauseam parere possint, iuxta illud, Occidit miseris crãbe repetita magistros. Accidit, quòd dum id agunt, eorum qui de ratione dicendi scripserunt præcepta non seruant: qui nihil oratorium magis arbitrati sunt, quàm eo argumento orationem contexere, quod rei de qua agitur conueniat, & quadriet. Neque tamen negaui, cum præcipuũ aliquid tractatur, esse quòd q; (si inciderit) aliena apte & appositè, tanquam flosculos, inserenda, & amena quædam oratiõis diuerticula quaerenda. Quæ tantum abest vt repudientur, vt etiam oratiõni magnum ornamentum afferant, & audientiũ animos demulceant & detineant. Quod ego in præsentia sum facturus. Nã & si multa dicenda occurrant, quæ loco suo tacere minime decreui: tamen hodierno die congruum argumentum & potissimum esse iudicaui, si partem orationis meæ cum viris Dolanensibus, partem cum amantissimis scholasticis consumpsero: cùm illis res mihi proximè fuit, cùm his toto hoc quadriennio futura est. Ad vos itaq; me conuerto. Viri opt. & nobilissimi. Laudo, & non modicè quidem laudo hoc nouum vestrum institutum, vt Doctorem Italum habeatis, quod solito vestro & maturo consilio factum cognosco. si quidem cõsiderastis, quantum, hoc Papiæ, Bononiæ, Patauio, in Italia, quantum Auenionæ, Valentis citra montes conferat, qui honores, quæ commoda inde sequantur. Nunc Dolanæ Academia per multos annos collapsa, & prostrata, hoc factio caput extollet, & breui tempore inter cæteras tanquam regina ambulabit: & quæ hætenus in tenebris delituit, & hic & apud nostrates percelebris, magniq; nominis erit, ac per omniũ aures resonabit. Hinc viri in omni virtutũ genere excellẽtes, tanquã terrigenæ (vt in fabulis est) aut Minerva ex capite Iouis, prodibunt. Nunc patres suauissimos filios, quos in exteras gentes proficiscentes, incõparabili viatico & lachrymis prolequebãtur, domi & ante oculos exiguo sumptu retinebũt: illudq; Tibullianũ cãtare poterũt, Lucret & ante meos turba nouella pedes. Verũ quã nõ modo scholasticis, eorũq; parentib; at vniuersè ciuitati hoc institutum esset vtilissimum futurum, sensit ad ciuitas regia Ticinum, quæ cum diuturno bello saucia, longo tempore expalluisset, & exanguis ferè dixerim facta esset, nunc ob proximis annis instauratã Academiã, pristina specie & habitu recepit. Quid igitur hic fiet, vbi pax perpetua, sempiterna tranquillitas, ciuiũ maxima cõcordia, rerũ omniũ copiosissima vbertas, cœli tẽperies saluberrima perdurat? Tot igitur, tantorũq; bonorũ vos eritis causa. Debebit vobis præteritũ ætas, debebunt posterũ, quib; tanquã pulcherrimã hereditatẽ relinquitis, hæc præclarissimã cõsuetudinẽ. Sed, inquiet aliquis vestrum, vanũ & inutile profus institutũ fuerit, nisi & tu rem adiuueris, atq; ita te gesseris, vt tuo nomine adducti scholastici, ad nos certatim aduolẽt. Ego de me multa polliceri nec volo, nec possum: tũq; nemini sua laus cõueniat, imò sordescat, & inanem quandam gloriã sapiat: tum quòd leges non permittant quecipiã pro se testimonium dicere: & si dictum fuerit, non probent, sed reiiciant. Operæ precium tamen existimari, ne me ipsam penitus silentio inuoluerem, partem atq; vitæ meæ recense, vt quid humeri mei ferre possint, & quantum de me expectare possitis, conijcere valeatis. Cum primum à multis ab hinc annis eam ætatem excessissẽ, in qua à præceptoribus meis ad humaniora studia informabar, statim me legalib; studijs dedicaui, q; ante oculos perpetuò habere, auum meũ & patrem, illum apud Ducẽ Sabaudis, hunc apud Cæsarem Maximilianũ, & Marchionem Montiserratũ

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

